

Littera Q.

QUARENHEIMENSE.

Dioecesis Osnabrugensis, in Westphalia Canonissarum Regularium S. Augustini Parthenonem prisca ætate gloriose prostitit; cuius initia Krantzus in sua Metropoli refert ad tempora Philippi Comitis de Cazenelenbogen Principis & Episcopi Osnabrugensis numero vicesimi quinti, qui postquam annis supra viginti duobus cum multa laude parique emolumento Ecclesiae suæ præfuit: terris amplius supervivere defecit, & ex hoc sæculo migravit anno 1164. Verba Krantzii Lib. 6. cap. 34. sic sonant: *Duo Monialium Monasteria sub his (Philippi antedicti) Pontificatu sunt erecta. Primum (Ordinis Monastico-Benedictini Ozede nuncupatum hodieque salvum & integrum) ex Arce Ozede, cum vir militaris eius nominis esset sine prole, & e consensu Domini feudi prædiis & curtibus dotaret ad victimum Deo servientium puellarum; alterum in Quarenheim (Canonissarum Regularium) quod ætate nostra anno octogesimo quinto (sub Conrado de Rechberg Pontifice Osnabrugensi) post millesimum quadringentesimum a Christo sancte fuit reformatum in moribus & disciplina.* Et sic ille, cui plura superaddere prohibet Calvinianismus, qui in loco dominatur.

QUEDLINBURGUM.

Dioecesis Halberstadiensis in Superiori Saxonia Principalis Civitas, antiquioribus Sæculis in primaria sua S. Petro Apostolorum Principi dicata Ecclesia Regularium Canonicorum Collegium habuit, sub annum circiter 926. ab Henrico, communiter AUCEPS cognominato, Ottonis primi seu Magni Genitore, liberalissime conditum, de cuius statu tum novo, tum antiquo quicquam edicere vel invitos nos prohibit hæresis pertinacissima loci Dominatrix. Hinc & de memorato hujuscemodi Canonicorum Collegio, in testimonium antiqui status & Religionis, vel inviti solum isthic allegamus Albertum Krantzum Lib. 3. cap. 25. in hæc verba legendum: *Religiosus Imperator (Otto primus cognomento MAGNUS) non minus Religiosi Patris filius Henrici, quem in Quedlinburgo cernimus tumulatum, quem locum illustravit idem Henricus fundato ibi Canobio Canonicorum insigni; relicta ejus (Vidua) Matildis enate Ottonis rem perfecit a Marito inconsuematam.*

QUEDLINBURGENSE.

Aliud ibidem loci paris Ordinis & Regulæ, imparis tamen sexus, nempe Sacrarum Virginum seu Canonissarum Regularium Collegium (cujus Abbatissa inter Cellos S. R. I. Status in circulo, ut vocant, Superioris Saxoniæ Principalem dignitatem obtinet) genuinam Originem suam debet Ottoni Magno Cæsari antedicto, quod aper te testatur Krantzus in sua Saxonia Lib. 3. cap. 12. ubi sic habet: *Otto Henrici (Aucupis antedicti) filius rerum potitus Quedlinburg Urbem singulare cura respexit, Monasterium ibi erigens Dominarum, in quo primam fecit Abbatissam Matildem Filiam suam &c.* in quæ verba Continuator Bollandianus Tom. 2. Martii die 14. ejusdem mensis in Commentario prævio vitae B. Mathildis Reginæ Conjugis Henrici Aucupis post diversas diversorum Authorum opiniones fideliter allatas §. 1. num. 2. ad finem: *sed veremur (inquit) ne Neptem postmodum ibi Abbatissam, & Matildem dictam, cuius non meminit (citatus Krantzus) filiam crediderit, cum eam antiquiores Scriptores noa babeant.* In Bulla Confirmationis ab INNOCENTIO III. huic Parthenoni tradita sic Pontifex loquitur: *Eapropter dilectæ in Christo filie vestris Justis Postulatibus clementer annuimus, & præfatum Quedlinburgense Monasterium, quod B. Petri juris existit, & ab illustris memoria HENRICO REGE fundatum est, & sub anno censu unius Librae Argenti Ecclesiæ Romanæ oblato ad exemplar felicis recordationis Agapiti &c. sub B. PETRI & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ORDO CANONICUS, QUI SECUNDUM DEUM, & B. AUGUSTINI REGULAM in eodem Monasterio NB. NOSCITUR INSTITUTUS, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.*

Neoretici quidam Scriptores Monachi Collegium istud Quedlinburgense Juris & Ordinis Benedictini faciunt, etiam S. Mathildem memoratam, licet nulla prorsus authoritate suffulti Regulæ Benedictinæ Abbatissam (quæ tamen nec Monialis quidem aliquando fuit) in Monasterio hoc Quedlinburgensi tuisse contendunt, at perperam solum

solum, quod etiam idem Bollandianus diligenter observat loc. cit. num. 4. ita scribens: Bucelinus a Wione dicta (de eadem S. Mathilde Regina) pluribus exornat, Conjugem Augustissimam Henrici primi Imperatoris indigitat: asseritque post mortem Marii Sanctissimae Regulæ Benedictinæ observantiam professam, cuculloque amictam fuisse, quorum omnium nulla est mentio in Actis, aut apud antiquos Scriptores, sed neque apud Kranzum, cui si de Monachatu Mathildis constitisset, certe tales ipse neutriquam subticuisset, ergo Recentiorum tantum falsa hæc assertio est. Cæterum vertentibus annis Religiosum Collegium istud prius defecit in sacerdotiale, seu Domicellas enutriens a quavis Religiosa professione liberas & exemptas, ac tandem circa annum 1563. Religione Orthodoxa posthabita cum Abbatissa loci omnes, quæ tum temporis inhabitabant, & singulas Lutheri dogmata complexas.

QUERCETUM sive EESHUTANUM

Abbatia est Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, divo Bartholomæo sacra, olim prope Brugas, nunc in ipsam Urbe. Meyerus & Miræus, prior in Annibus Flandriæ, alter in Originibus Cann. Regg. contendunt, illam fundatam esse anno 1050. Juxta Galliæ Christianæ Authores vero tardius contigit fundatio, saltem quando hæc Ecclesia Abbatialis est effecta ad annum scilicet 1130. quo prima fit ejus mentione in Charta Theodorici Alfati Flandriæ Comitis. Parum absuit, quin hæc Abbatia Patribus Societatis Jesu Anno 1585. traderetur per Alexandrum Principem Parmensem, & Patriæ Gubernatorem, Abbas tamen Quercetanus viriliter obstiterit, suisque intercessionibus a suo proposito Principem dimovit.

Series Abbatum.

- I. LAMBERTUS circa annum D. 1157. obiit anno 1163. 4. Oct.
- II. SIMON primus. Occurrit anno 1170.
- III. ARNOLDUS circa annum 1172.
- IV. EMMANUEL. 1186.
- V. BALDUINUS 1193. Ecclesiam de Meetkerke dono accepit ab Episcopo Tornacensi.
- VI. NICOLAUS I. 1196.
- VII. JOANNES I. 1200. is esse videtur, qui ex Abbatia Sunnebecca vel Zonnebecca ad hanc evocatus dicitur in Epistola Stephani Tornacensis 269.
- VIII. SIMON II. 1208.
- IX. CONO seu CONON 1209. & 1222.
- X. WALTERUS I. 1225.
- XI. GOSVINUS. 1236.
- XII. JOANNES II. 1250.
- XIII. ROBERTUS. 1266.
- XIV. WALTERUS II. de Oostburgh. 1272.
- XV. JOANNES III. Barbator. 1278. & 1284.
- XVI. WALTERUS III. de Follenbeke Tornacensis. 1292.
- XVII. LAURENTIUS Ultra-aquam. 1314.
- XVIII. JOANNES IV. de Stuppa electus, sed morte præreptus 1318.
- XIX. WALTERUS IV. de Straeten. 1318.
- XX. JOANNES V. Cambel Tornacensis. 1331.
- XXI. JOANNES VI. de Fano alias de Feno. 1340.
- XXII. NICOLAUS II. Crandt alias Brandt vixit adhuc anno 1370.
- XXIII. LUBERTUS & LAMBERTUS II. Anschilt, Hauschilt, alias Hanstilt, & Haveschilt Nobilis Brugensis, doctrina celebris, atque etiam spiritu propheticō illustratus, primus Burgundiae, Flandriæ & Biturigum Principum Consiliarius, cum tunc ab annis tribus Priorem ageret, in Abbatem electus est, ipsumque Calendis Martii Anno 1394. Ludovicus de la Temouille Episcopus Tornacensis, cui obedientiam Tom. V. Cann. Regg. Origines.

pollicitus est solemnis benedictione perficit. Reformavit suos Canonicos, templum ornavit, dormitorium ingens suis cum appendicibus a fundamentis excitavit, precum iniit Societates cum præcipuis Ordinis Canonici Cœnobii, S. Auberti in Civitate Cameracensi. S. Eligii in monte S. Joannis ad Vineas in Civitate Sueffionensi & cum toto Carthusianorum Ordine. Denique anno 1417. ob singulares dotes mitra in Concilio Constantiensi decoratus est. Obiit hoc ipso anno septuagenarius die 27. Decembris. Scripsit: *De Scriptoribus Flandriæ Illustribus* teste Clarissimo nostro Joanne Chrysostomo Hagero de Scriptoribus Ordinis Canonico-Apostolici. Fallitur tamen, quod Lubertum hunc adhuc anno 1450. floruisse dicat, cum tamen jam anno supra memorato obierit, ut ex sequenti Epitaphio patet: *Anno Dom. 1417. 27. Decembris obiit bona memoria D. Lubertus Hausbilt, filius Joannis, Abbas hujus Ecclesiae, qui cum XIV. esset annorum banc Religionem ingressus, & anno XXXVI. suæ Religionis, via Spiritus Sancti in Abbatem electus, rexit Ecclesiam annis - - - - . reliqua defunct.* Teste Menckenio etiam scripsit: *Vaticinum Flandriæ.*

XXIV. JOANNES VII. Vulre electus, benedictus & confirmatus in Abbatem anno 1417.

XXV. ANTONIUS I. Mil alias de Mil, vel Miliguem, Jurisperitus, ex Abate Dulcisvallo. Praefuit ab anno 1427. ad 1438. quo anno e vivis excessit.

XXVI. CORNELIUS I. Zegers, in utroque Jure Licentiatus. Rexit ab anno 1438. ad 1450.

XXVII. ANTONIUS II. Bossaert, ab anno 1450. ad 1458.

XXVIII. NICOLAUS III. Plante, ab anno 1458. ad 1477.

XXIX. PHILIPPUS de Beerst Brugensis, ab anno 1477. 1. April. ad 1504.

XXX. CAROLUS Trotin Insulensis, sedidit ab anno 1504.

XXXI. JOANNES VIII. Fossaert, successoris coadjutor ab anno 1537. eidem successit.

XXXII. CORNELIUS II. Pontcaesteel Dunkerkanus, ex Abate Dulcis-Vallo per annos 30. hic præterat. anno 1541.

XXXIII. PETRUS Balchieri alias Bellecier Ippensis, ab Imperatore Carolo V. renuntiatur Abbas anno circiter 1545. rexit usque ad annum 1571. quo vivere desit. In Epitaphio vocatur Abbas Belcarius, laudaturque *quod spe laborum devoratis tædiis seu Quercus ardua pertulerit.*

XXXIV. MATHÆUS Longhespée Ippensis. Abbatiam ab hereticis violenter occupatam ab anno 1578. usque ad annum 1584. in pristinum statum restituit. Obiit 1603.

XXXV. JOANNES IX. Montanus Brugensis, sedidit ab anno 1604. ad 1623.

XXXVI. NICOLAUS IV. van Trostenberghe, Brugensis via S. Spiritus electus. obiit 1653.

XXXVII. ADRIANUS van Callenbronck, sedidit ab anno 1653. ad 1664. quo decepsit.

XXXVIII. JODOCUS Inbona ab anno 1665. usque ad annum 1671. quo decessit.

XXXIX. JOSEPHUS I. Beerblock ab anno 1671. ad 1702.

XL. JOANNES CHRYSOSTOMUS Claesman obiit anno 1706. ætatis suæ anno 58. Religionis 39. Presbyteratus 33. Praelaturæ IV.

XLI. JOSEPHUS II. præfuit cum laude, desit vivere anno 1708.

XLII. AMBROSIUS Becue obiit 1712. Inscriptum est ejus tumulo, quod fuerit *Amator Pacis.* Hoc sufficit.

XLIII. BALDUINUS de Witte successit eodem anno 1712.

QUERCETUM aliud.

Abbatia hujus notitiam suppeditavit nobis *Gallia Christiana* opera & studio Dom. Dionysii Sammarthani Congregationis S. Mauri Ordinis S. Benedicti Præpositi Generalis edita Tomo III. Edit. Parisiensis de anno M. DCC. XXV. pag. 168. *Quercetum*, inquit, olim Xenodochium erat sub Patrocinio S. Elisabeth fundatum a Petro Pitzenz

Pitens Capellano Balduini Comitis cognomento *Magnanimi*, ubi Matronæ quædam pauperibus ministrabant. Verum anno circiter 1233. Johanna Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, locum reædificavit, dotavit, ejusdemque Soror Margareta item Comitissa dotavit pro Monalibus Ord. S. Augustini, quas ex Abbatia Premiacensi apud Cameracum, annuente Episcopo, circa 1262. evocavit. Porro anno 1554. cum hoc ipsum Monasterium munitionibus Urbis Cameracensis obesset utpote muris ipsis contiguum, ejusdem fundo in propugnaculum converso, jussu Caroli V. Moniales in Urbe receptæ sunt, quarum Ecclesiam consecravit anno 1591. 29. Sept. Franciscus Peterart Episcopus Calcedonensis. Vide etiam Gazæum in Hist. Eccles. Belgii pag. 92.

Series Abbatissarum.

- I. JULIANA.
- II. JOHANNA I.
- III. MARIA I. de Belemon. alias Bellainmont. 1308.
- IV. MARIA II. de Lesserville, seu Lisserville. 1319.
- V. MARIA III. de Castello.
- VI. MARIA IV. de Lisserville. alias Liffernel.
- VII. NICOLAA ab Hannonia.
- VIII. MARGARETA Semonde. 1381.
- IX. ISABELLA I. de Biadeguez.
- X. JOANNA II. du Pont.
- XI. IDA de le Porte.
- XII. ISABELLA II. de Dimont, sub qua contigit Reformatio anno 1459. & cura Xenodochii Sororibus Beguinis demandata, modo Leucophæsis. Vulgo dictis *les Soeurs Grises* Ordinis S. Francisci secundum Institutum B. Elisabeth commissa.
- XIII. CATHARINA I. de Wally.
- XIV. MARIA V. Desprez.
- XV. JOHANNA III. Mondet.
- XVI. CATHARINA II. du Buisson.
- XVII. MARTINA de la Sarte.
- XVIII. CHARLOTTA de Mally. 1591.
- XIX. BARBARA de Nebra obiit anno 1637. vigesimo sui Regiminis.
- XX. MARIA VI. du Mont S. Eloy Montibus anno 1639. 10. Julii benedicta, utramque rem Cœnobii promovit ad annum 1649. quo decepsit.
- XXI. MARIA VII. de Villers Valencennensis, Montibus benedictionem percepit ipso die S. Monicæ.
- XXII. MARGARITA MONICA Gexin loci alumna, designatur Abbatissa a Rege Christianissimo mense Septembri 1694.

Supplementum

Ad Litteram O. pag. 102.

In Serie Reverendissimorum DD. Præsulum Collegiatæ Ecclesiæ ad omnes Sanctos Olomutii in Moravia Numero XVIII. occurrit nomen Ambrosii Augustini Engelman, quod tamen per errorem esse factum Lectorem benevolum hic moneo: Ut error hic corrigatur, primo supplendus est annus obitus Reverendissimi Balthasaris Ernesti Koci, qui obiit die 24. Augusti anno 1666. dein Syllabus Antistitutum hoc tramine perget.

XVIII. Bernardus Joannes Cruciger ex Canonico Regulari Olomutiensi communibus votis inter suos præesse constitutus non solum benigne ac suaviter, sed magis utiliter munus Prælaturæ gessit, cuius etiam potissimum cura (licet haud sine gravissimis, quæ subreptarunt, obstaculis) intabulatus fuit, ut vocant, pagus Rakova supradictus. Cæterum obitus dignissimi Præsulis istius incidit in diem 20. Februarii anno 1670.